

in pressuris consilio sacerdotum tribus cum familiaribus¹ secreta conlocutione primam dominicae praedicationis illam fidelissimam arripui sententiam dicentem: *'Poenitentiam agite, appropinquavit enim regnum caelorum'*², ita et nunc, expleto septenni spatio, quo ceteris poenitentibus gravissimis de criminibus in sancta ecclesia solet celebrari remissio³, eandem conscientiam meam viris Dei fidelibus pando, quos et ad aeternum auxilium meritorum suorum praesidio suplex mihi libenter adscisco, quatinus initium devotionis meae, ne labor noster sit inanis⁴, in Domino perfectionem iuste et pie vivendo mereatur saltem in die ultimo, ita ut praeterita digne defflere merear et de praesentibus ac futuris excessibus Christo propitio cautior esse valeam. *'Dominus autem, rex noster ante saecula, qui et operatus est salutem in medio terrae'*⁵, gaudium esse angelorum in caelo publicavit super uno peccatore poenitentiam agente⁶. Quapropter periculosum est mortalibus despicere in terris, de quibus teste tanta veritate angelos constat gaudere in caelis. Quodsi mei ultra non fuerint dominati mores noxii, credo, quod fonte lacrimarum ablutus quandoque et cum ceteris ingemiscuntibus *'observabo me ab iniquitate mea et emundabor a delicto maximo'*⁷. Non ergo ficta, sed devotissima intentione, nemine iudicante sed neque interdicante, sed universo benigno adsentiente conventu, iubente Domino pro concordia et reconciliatione fraterna hucusque reliqui munus oblationis meae⁸ *ante altare adeptam usque concordiam ecclesiasticam et tunc divino instinctu fidus veniens sategi⁹ offerre munus meum, de propriis siquidem scriptis meis quasi quadam inrevocabili mihi conscripta sententia¹⁰. Si quem aliqua scandalizet dubitatio, ecce sic adposita est eadem immutata conscriptionis forma, expressa per singula verba, ut scandalizanti fratri sufficiat, quod haec de certo crimine quemquam nullatenus accusat dicens:

*Ego¹¹ Ebo indignus episcopus, recognoscens fragilitatem meam et pondera delictorum meorum testes confessores meos, Ailfum videlicet archiepiscopum et Badaradum episcopum necnon et Modoinum

1) Es ist nicht ersichtlich, ob unter den drei 'familiares' die in der Verzichtsurkunde (s. u.) genannten oder die bei Flodoard, Hist. Rem. II, 20 (MG. SS. XIII, 473) erwähnten Bischöfe zu verstehen sind. Vgl. Nissl, Gerichtsstand des Clerus im fränkischen Reich (1886), 71. 77. 2) Matth. 4, 17. 3) Vgl. die MG. Cap. II, 680 s. v. poenitentia angeführten Stellen. 4) Vgl. 1. Thess. 3, 5. 5) Vgl. Psalm. 73, 12. 6) Vgl. Luc. 15, 10. 7) Psalm. 17, 24. 18, 14. 8) Vgl. Matth. 5, 24. 9) 'sategi' ergänzt durch v. W. 10) 'quaedam sententia' Hs. 11) Ueber Ueberlieferung und Drucke vgl. N. A. XXIV, 489.